

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subscriptionis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — *Via Alessandrina, 87* — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA
Apud GEBETHNER ET WOLF

VARSAVIAE POLONORUM
Krakowskie Przedmiescie, 15

IN ANGLIA
Apud BURNS AND OATES

LONDON W.
28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAЕ SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sedis. Apost et S. Rituum Congr. Typogr.
NEW YORK 52, Barclay Street.
CINCINNATI 436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sedis Apost et S. Rituum Congr.
Typogr.
RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES
MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

DE PUERIS ET ADOLESCENTULIS EDUCANDIS, INSTITUENDIS	H. D.
DE LITTERIS GRAECIS IN GYMNASIO ET LYCEO TRADENDIS	A. Castellini.
MORTUIS HONOR	Senior.
SPES!	A. Basili.
EX AMERICIS. - De Mac-Kinley praeside interfecto	H. Doswald.
WILHELMUS TRACKERAY MILESIARUM FABULARUM SCRIPTOR	I. Antonelli.
« LA GUAIRA »	Forfex.
PERITURI SIDERIS INCENDIUM	M. Lani.
COMMUNIA VITAE. - Latinitati utile, recens, vaporitruha rapiente, iter.	H. D. V. Peralice.
DE HOROLOGIIS	G. P.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
AENIGMATA	Fr. Palata.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: Annulorum usus penes antiquos et... aequales. - Elementa humani corporis. - Subterraneae electricitatis. - Loci	P. d. V.
LIBRI RECENS DONO ACCEPTI	

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGANI

35, Via della Pace

M CMI

COMMENTARIII "VOX URBIS", INDICES SINGULI

XIII num. ann. IV.

De Russorum imperio - D. LASCARIS.
Civile liberalium artium officium - I. ANTONELLI.
De sancto Paulino poeta - I. LEMETTE.
De urbe Propertii natali - FORFEX.
Custos Massiliensium Maria (*Notre-Dame de la Garde*) - FR. X. REUSS.
Ex Caledonia - De studiorum Universitate Glasguensi - SCOTUS.
Beati Angelici Faesulani tabula Petrum apostolum referens Christianos admonentem - LAELIUS.
Populare Helvetiorum theatrum - A. COSTAGGINI.
De nuperis effossionibus cretensibus - G. P. Aloisii Clasii «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
De americanarum rerum ostentu ad urbem Uropolim - I. De urbe Uropolitana Buffalo - H. DOSWALD.
Arabum mores - A. VIEILLOT.
Annales - POPPLICOLA.
Aenigmata - FR. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.
Per orbem - VIATOR.
Varia: *Rhinoceros albus* - *Ioci* - P. d. V.

XIV num. ann. IV.

Ad «Praeconem Latinum» - N. CAPO.
De subtiliore latinae orationis cognitione - A. CIMA.
Pax! - A. M. CERASOLI.
Latinae adnotatiunculae - Maurus Riccius Ioanni Taddeo - Ex scriptis M. RICCI.
Oratio ad discipulos gymnasii habita studiis absolutis - I. WABNER.
Ab Helvetia ad Nordicum caput - LAELIUS.
Collectiones et collectores - H. D. V. PIERALICE.
De polari vertice attingendo - A. COSTAGGINI.
Aloisii Clasii «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
Frustula - FORFEX.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - FR. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *De nivatis scitamentis* - *Ioci* - P. d. V.

XV num. ann. IV.

Australiana civitates iure dominii communicato constitutae - P. ROSSANI.
De pronuntiatione et studio linguae latinae - H. P.
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARMELLINI.
Uvae comuatae origo - H. D. V. PIERALICE.
Theatrum olympicum Vicentinum - LAELIUS.
De liberalium artium fato in futura publica re - I. ANTONELLI.
Alexander Botticellius - A. COSTAGGINI.
Communia vitae - De salutatione - P. ALEXIS.
Aloisii Clasii «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
De «phototerapia» - FORFEX.
Arabum mores - A. VIEILLOT.
Annales - POPPLICOLA.

Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.
Per orbem - VIATOR.
Varia: *Ioci* - P. d. V.

XVI num. ann. IV.

Leoni XIII Pontifici Maximo - R. REYES.
Consociationum vires quomodo exerendae - I. TONILO.
De Cassio Severo I. MARRA.
Athenaea et auditores in America - SENIOR.
Fr. Angelici Faesulani tabula Deiparam in caelum evectam referens - X.
Recensaeoriae navigationis progressus - M. LANI.
Vita functi viri clariores - I. F.
Theatrum Marcelli - ROMANUS.
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARMELLINI.
Aloisii Clasii «Lusus Pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
Ex Istria - L. P. MICROVIR.
Frustula - FORFEX.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - P. ANGELINI.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.
Per orbem - RUFUS.
Varia: *Quaenam innocentibus culpa, consensu gentium confirmata?* - *Ioci* - P. d. V.

XVII num. ann. IV.

De diebus festis apud Germanos - P. ALT.
De Probae Falconiae Vergiliano centone - M. BELLI.
Lapurdu - F. X. REUSS.
Graeca in Aegypto papyra reperta - N. CAPO.
De Augusteis navibus in lacu nemorensi demersis - H. D. V. PIERALICE.
De «Cymatologia» - FORFEX.
Aloisii Clasii «Lusus Pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
De Cassio Severo - I. MARRA.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - DIGAMMA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Telemetrum acusticum* - «*Helladotherium*» recens inventum - *Ioci* - P. d. V.
Libri recens dono accepti.

XVIII num. ann. IV.

Agrariae Australianae leges - P. ROSSANI.
De fabula Milesia, quae inscribitur «*Quo vadis?*» cum Manzoni «*Sponsis*» comparata - A. CIMA.
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARMELLINI.
De Augusteis navibus in lacu nemorensi demersis - H. D. V. PIERALICE.

Nicolai Machiavelli sententiae de publicis vetigalibus - Latine reddidit C. DEHO.
Dureri tabula Iesum infantem referens cum doctoribus disputatam - LAELIUS.
Napoleonis gens - I. ANTONELLI.
Ephebi canentes, quos Lucas *della Robbia* expressit - X.
Maris profundum - M. LANI.
Aloisii Clasii «Lusus Pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
Vita functi viri clariores - I. F.
De primo chartae fabro - A. COSTAGGINI.
Annales - PROPOPPLICOLA.
Aenigmata - P. GARRONE.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - FORFEX.
Varia: *Feles tabellarii* - *Lavantur et albescunt Aethiopes* - *Ioci* - P. d. V.
Epistolarum commercium - A. SECRETIS.

XIX num. ann. IV.

Sociis Monitum - *V. U.*
«*Alcoolismus*» - SENIOR.
De Cassio Severo - I. MARRA.
Nova, novo saeculo, ingenuis artibus spes - I. ANTONELLI.
Venatio Cavensis - M. GALDI.
De Senis, urbe clarissima - N. CAPO.
De scriptoribus optimis imitandis - D. MANCINI.
Communia vitae. - Latinitati utile, recens, vaporitrahia rapiente iter. - H. D. V. PIERALICE.
Ad Australem Polum nova suscepta itinera - M. LANI.
Wilhelmus Mac-Kinley - I. F.
Annales - PROPOPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - P. ANGELINI.
Aenigmata - F. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Aerior grandinis, nimborumque profligator.* - *Primus mutos eloquium docens* - *Ioci* - P. d. V.

XX num. ann. IV.

Sociis Monitum - *V. U.*
Quid humano generi ex *Anarchismo?* - SENIOR.
De M. Minucii Felicii «*Octavio*» - A. SORDET.
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARMELLINI.
De Sancti Lazari insula veneta - FORFEX.
Maria Vultuillae Montis Custos - F. X. REUSS.
Hominum fastidia - P. ALEXIS.
Communia vitae. - Latinitati utile, recens, vaporitrahia rapiente, iter - H. D. V. PIERALICE.
De horologiis - G. P.
Annales - POPPLICOLA.
Librorum recensio - P. ANGELINI.
Aenigmata - A. MORCHIO.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Chartae usus* - *Nova via ferrea Orbi compar* - *Formicis unde incommodis exterminium* - *Ioci* - P. d. V.

ARS longa,
A perientia
neque satis es
nisi adolescens
ii, quibus pare
est, suo pariter
gentissime abso
verba medicus
tioni de pueris
stituendisque a
ut innuerem id
dis ab homine
adipiscenda no
studium, dilige
vigilibus oculis
quenda.

Iamque rem
quam tamen et
ctaculo tristem,
gratam faciam,

Quid vetat

quo et ipse laeti
ethicae compos
saepe diurnis de
solum eruditissi
mihii fuit in ips
in incunditate
ciali ordine ser
repente interrup
quit, — o abnep
sidibus, ipsi et P
vis inimicissimu
omnibus eos mo
que inopiniae qu
cilis erat, utpote
cratae», «*mon*
uno complexu pa
haererem: — As
tres plurimas in
more est, hibern
tes, turba filioru
partim admovent
dientes. Cumque
et causas quae

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

DE PUERIS ET ADOLESCENTULIS EDUCANDIS, INSTITUENDIS

ARS longa, vita brevis, occasio volueris, experientia periculosa, iudicium difficile; neque satis est suo magistrum fungi officio, nisi adolescens instituendus, nisi parentes, et ii, quibus parentum vice locoque credita cura est, suo pariter officio fungantur, et perquam diligentissime absolvant. Haec, quae suis *aphorismis* verba medicus praefixit Hippocrates, elucubrationi de pueris adolescentulisque educandis instituendisque agenti iure praeponenda putavi, ut innuerem idem esse discrimen in amovendis ab homine vitiis et morte, et in tanta re adipiscenda non uni tantum esse negotia, sed studium, diligentiam, curam, quotidiana omnia, vigilibus oculis et assiduis esse iugiter persequenda.

✱

Iamque rem omnem propius aggrediamur; quam tamen et suapte natura gravem et spectaculo tristem, ut ipso ab exordio minus ingrati faciam, iocum dicam, — quippe

ridendo dicere verum
Quid vetat? —

quo et ipse laetificatus sum, quum, philosophiae ethicae compos iam factus, cum avunculo meo saepe diurnis de disciplinis colloquerer, viro non solum eruditissimo, sed quo non alius umquam mihi fuit in ipsa gravitate iucundior, et ipsa in iucunditate gravior. Hic igitur, cum de sociali ordine sermo esset, sermone disceptationis repente interrupto: — Quemnam putas, — inquit, — o abnepos, imperatoribus, regibus, praesidibus, ipsi et Pontifici Summo religionis cuiusvis inimicissimum, et vatiniario odio precibus omnibus eos morti voventem? — Subitae atque inopinatae quaestioni responsio minime facilis erat, utpote quae talis esset, quae «democratiae», «monarchiae», religionum omnium uno complexu partes omnes vinceret. Cum itaque haererem: — Aspice, — prosequutus est, matres plurimas indicans, quae, uti rusticis in more est, hiberno sole gaudebant humi sedentes, turba filiorum obsitae, et infantibus suis partim admoventes ubera, partim suaviter blandientes. Cumque ego mirarer incredibilia verba, et causas quaererem oculis: — Nec unam

quidem, — addidit, — invenies ex iis, quae catellum suum, catellos omnes suos non desideret, non precetur fieri Augustos, Reges, Pontifices, Praesides, et siquod maius; quae, optione et vi datis, libenter terrarum orbem, se non excepta, incendio cremaret, ut nati sui primis iisque amplissimis fortunis et honoribus potirentur. Recordare sententiam: «dummodo Nero regnet, Agrippina moriatur!». Cordis materni pictura est. —

✱

Num sunt haec memorata extra, ut aiunt, chororum? Minime gentium; nam cum maternis animis praescriptum firmumque sit ut quot sunt liberi totidem auctoritate, potentia, divitiis non modo emineant, praesentent, emicent, sed vel

Sublimi feriant sidera vertice;

ad hoc autem adipiscendum culmen, ad haec ferienda sidera, facilior via sit, quae per disciplinas optimas gradiatur, hinc est ut vix pueri prima verba, prima vestigia tentent, omnis parentum cura, quanta est, incumbat in sternendum iter, quo possint optatis potiri. Qua de re primo impetu asyli portae occupantur; ille autem asylus optimus, qui notis literarum, qui calamo, chartisque acciat infantiles manus; et, nisi in ista conetur, et adigat in ea invitos catellos, asylus pessimus, fungi, bucones, bardi quot sunt rector, magistri, custodes, magistratae. Mox, ubi lustrum expleverit, in ludos disciplinae, velit, nolit, absque misericordia immittetur, indolemque, mentemque, corpusque, membraque stare loco nescientia ligneo sedili, summis, arabicis characteribus deductis, conficiendis, quaestionibus, quae potius aenigmata quam interrogationes dici possunt, solvendis veluti patibulo affigetur. Nec mora, nec requies puero; sed minae, verbera, lacrimae, obiurgationes, supercilia turmatim evocantur, ut vel invitatus procedat, nec preces rectori, nec magistris blanditiae maternae desunt ad unum illud, ut filius quotannis ad altiora provehatur, et vix decennis in gymnasio bella cum Latinis, cum Graecis, cum mathematicis, cum physicis conserat, vincat, triumphet, lyceo potiatur amplissime, et post hoc longa victoriarum serie insignis, tot notans triumphos quot annos, in suprema bonarum litterarum et artium «universitate», seu athenaeo, magnus versetur. Date locum, gentes,

Hippocratibus, Archimedibus, Tribonianis, Paulis, qui idem singuli didicerunt, idem passi sunt, eodem, iisdem argumentis lauream coronam adepti sunt, doctores amplissimi sunt renuntiati, omnia sibi suisque fausta, felicia, prospera sunt polliciti! Quid si, ubi in aequum venient, plures erunt causidici in foro quam causae dicendae? Plures in urbe architecti quam excitanda aedificia? Plures in regione mathematici quam sternendae viae? Plures in civitate medici quam infirmi?... Inopes, afflicti per nefas quaerent, quae per fas obtinere non possunt, et publicam rem et familias, sibi, suisque, externisque molesti turbabunt; quinimo qui bonus agricola, qui peritus musicus, qui rei domesticae gerendae idoneus fuisset, in alia penitus ac diversa actus est improba voluntate consanguineorum atque parentum.

✱

Haec est itaque in educatione atque institutione sobolis prima ferme, et communis mali labes, qua tot medioeres sunt, qua sceleribus quotidie tremur novis, qua societas fit veluti mare fervens, quod quiescere nequit. A fundamentis igitur incipiendum est, si quid boni adipisci velimus. Id autem assequi possumus tantum opera eorum, quibus a teneris unguiculis traduntur instituendi puelli. Indolem hi singulorum perspicere tantummodo possunt, et libro notare, et parentibus et consanguineis indicare; quo vergit natura, quo acribit indoles eundem; non contra agmen aquarum ducenda navis, quae et aegre, et segnior procedet; sed quo vehit ingenium, quasi flumen, prona prora cuique est iter. Hinc quampluribus placet pueros ad decimum fere annum magna in libertate colendos exercendosque libero aere, ludisque puerilibus, quibus membra firmentur, pectora, pulmones exercitio roborentur, sanguis motu perpetuo et agitatione caleseat cursu, saltu, neque cohibeatur standi impos coram scriptoria mensa, neque arescat simul anima et corpore in libris exosis, neque mentis potentiam disperdat in solvendo aenigmate numeris referto; sed narratione accipiat ore tenus facta maiorum, quibus quasi totidem stellis nostra micat historia, et sciat quid sit orbis terrarum, quid caelum, quid sidera. Addantur insuper quae ad agros pertinent, ut flores colant, agellos habeant, in qui-

bus et lactucas, et brassicas et cetera eiusmodi eurent; sciant quae arboribus, vitibus, segetibus, herbis opportuna sint, quae noceant, quae denique conferant ut parvi agricolae primum sint, qui postea Cincinnati vocentur.

Iamque apparebit in iis optime qui aptior dicendo, qui exstruendis casis, qui postellis, qui simulacris, qui pingendis rebus, qui militari disciplinae, qui tubae, qui agris, qui doctrinae, qui artibus, qui mercaturae. Notet omnia sedulus rector, notet magister tenero praefectus agmini, at exiguo, notet; neque imperiosus facere iubeat, neque superciliosus a faciendo deterreat. Atque hic ipsa educatio « moralem in campum », ut ita dicam, descendet. Nam quieta ac tranquilla indoles nonnullis a rixosis suapte vi separabit, arebit; pronos in iram proni in iram muleabunt; hos arguet, hos terreat magister, hos rector monebit, et puniet, ut, superbia dominationis in quietos placidosque deposita, noseant ita vivendum sicuti fratres et bene moratos decet, et proprii muneris conscientia teneantur.



Quod ubi factum sit, ubi probationis huius decennalis ultimus illuxerit dies, tunc non voluntate parentum et libito, sed iuxta indolem segregentur hi ad officinas artium, illi ad studia et disciplinas. Ut enim satis habeant in legendis atque scribendis, satis superque sunt quotidie tres horae ita divisae, ut ante meridiem duae, post meridiem una, ludis exercitationibusque inter utramque seriem interiectis, numerentur. Id vero a septimo ad decimum annum tantummodo; antea nihil omnino. Hoc vero ita fiat, ut nemini liceat in otio esse, nemini segnitie diffuere. In labore salus, in exercitatione robur.

At vero, ubi ad gymnasia et lycea ventum sit ceterasque scholas, id velim cautum servatumque, ut nemini ex adolescentulis liceat vagari per plateas et vias, praeter horas ante solis occasum duas: siqui errabundi inveniantur a custodibus civilis ordinis, hi capiantur et in carcerem absque misericordia adigantur, teneanturque toto die usque ad occasum. Quod uti fieri possit, necesse est ut omnis adolescentulus veste, quasi dicam, militari induatur, qua et gymnasio et lyceo dignoseatur addictus. Audivi quemdam de ritu et more hoc monentem, ni fallor, in Europaeo Russorum Imperio. Plura adipiscimur ex hoc utilia; nam et adolescentes, seu sponte, seu ingratiis, servabunt domos, ibique ex necessitate, quoniam exire non possunt, sua incumbunt in studia; tum, errabundi vagique cum non sint, ludis, aleis minus, immo penitus operam non navabunt, tum disciplinae assuescent, scientque libertatem se tunc recuperaturos ubi, studiis absolutis, suprema athenaea ingredientur. At vero

tunc, iam habitu assueti gravibus, puerilia quaeque negligent, neque ad obsoleta iam et inania revertentur.



Ut igitur finis sit, de pueris et adolescentulis educandis et instituendis magna parentibus cura, maxima debet esse reipublicae, quae legibus latis, et non modo latis, sed austeritate indeprecabili impositis, vitioso, quia otioso, agmine vias, plateasque urbium liberabit, civesque parabit obtemperantes legibus, audientes dicto maiorum, paratos animo in officia, corpore robustos si quando necesse sit bellare pro patria, servantissimos aequi ubi sint iura voto tuenda, atque artibus et officiis idoneos, quibus imbuti sunt, quippe et singula et omnia natura suadente, non alieno imperio, sponte libenterque elegerunt.

H. D.



DE LITTERIS GRAECIS

IN GYMNASIO ET LYCEO TRADENDIS (1)

Ad Iosephum F. amicum.

NE cogitare quidem ausim, Ioseph, quanam discipuli nostri inter se sint dietitaturi, si auditum atque confirmatum habuerint graecam linguam doctissimis hominibus et studiorum praefectis ita nostro cultu atque humanitate alienam videri, ut demum adsit dies illa, qua Homerus et Xenophon et reliqui scriptores « Valet » dicant, seque praeteriti aevi in nubes condant, atque in aeternum taceant. Maxime nobis suffragatur fortuna! cum iuvenes nostri, dulcioribus rebus detenti, minime vacent philosophiae, neque possint perscrutari num vel apud eruditos homines locus sit ineptae disputationi.

Utumque est, fieri non potest quin huius generis de graeca lingua iudicia animos recreent discipulorum, iisque documento sint atque suadeant disciplinas illas, quas colere et paene venerari adsueti fuerint, esse apud studiorum praefectos non amplius probatas et proxime interituras. Quantum prosit militibus instituendis eorumque mentibus in bello confirmandis queri duces se nescire quid faciendum sit, et profiteri se de praeceptis in re militari maxime dubitare, amice, vides. Sed haud frustra, Ioseph, philosophi sumus, qui multa audire et videre sine offensione possimus. Haec tamen quaestio occurrit: gymnasium et lyceum nonne haec de causa *classica* schola appellantur, quod in iis parietibus scriptores colantur qui optimi sint, et discipulis tamquam exemplaria dignissima praeponantur? Cum enim vulgari usi sermone aliquid esse *classicum* dicimus, aut exemplar esse dicimus, aut ad exemplaria institutum: nisi vero novissimis temporibus alia quaedam huius verbi subtilior exstitit significatio. Ergo,

(1) Quaestioni iam in commentario nostro agitatae libenter alias animadversiones subiicit *Vox Urbis*, gaudens quod cum doctorum virorum choro his diebus coniungi possit, qui in commentario *Athenae et Roma*, ad litterarum humanarum studia vulganda Florentiae edito, rem nuper fusius pertractarunt.

si scriptores dignissimi atque optimi quaerendi sunt, cur a nobis excipientur latini, graeci repudiabuntur? At difficiliore esse graecos dixerit aliquis, quam qui cum utilitate legantur; quo fieri ut studiis praefecti quod tantum servari possit, servent. Durissima haec est necessitas et paene dixerim mirabilis, qua nobis cendum est discipulos nostros non amplius graeca illa intelligere posse, quae nos, nisi cum honore, at certe cum utilitate intelligere poterimus. Sed audire videor, ut qui timidus ad alveare appropinquaverit, susurrantes multos maius nunc habere discipulos disciplinarum onus, et quidem utiliorum, ad quas se debeant applicare; neque Homero aut Platoni ducibus esse in castris locum, ut veteranis, cum iuvenes atque nobilissimi duces, novissima scientia imbuti, exercitum susceperint.

Quaenam sint, amice, hae disciplinae utilissimae, quae veteres et probatas inutilis efficiant, neque mihi nunc quaerendum puto, neque adfirmaverim esse non posse. Non enim sum fastidiosus homo, qui a novis rebus abhorreat, neque novissimum aut futurum tempus habet mihi sollicitudinis causam atque timoris, nedum aliquid habeat odiosi. Stultum esse scio de futura scientia atque humanitate desperare. Sed semper stat in conspectu meo neque decedere significat, ut importuna muliercula, illa quaestio: cur aliter de latina, aliter de graeca lingua decernendum sit. Ego vero, pro re philosophus, quamvis sciam alienas philosophia esse mulierculas, isti dicere non dubitaverim: — Ut in aliis negotiis agendis, ita in re scholastica aliud est quod verum et probatum habemus, aliud est quod interdum expedire et faciendum esse videtur. Quid in humanis litteris tradendis expediat, alii videant; quod autem de iis verum et nobis est probatum, ita sese habet. Graeci scriptores latinis sunt digniores qui *classici* vocentur, et ab iis potius quam a latinis *classica* dicta est schola. Si graecos, ut recte dicis, quod supervacanei sint nonnulli damnaverint, nulla causa sit quin aequae damnandos censeant latinos. Impedimento tamen est, suavissima puella, antiqua illa nostra et maior erga latinam litteras religio, quominus litterae graecae pari studio colantur. Neque solum quas cernunt sapientes homines novissimae temporum necessitates nonnullos litteris graecis minus obsequentes faciunt; sed etiam, mirabile dictu, quod a maioribus acceptum habemus gymnasium hoc et lyceum, ad latinam linguam tradendam religiose quidem est institutum, de litteris vero graecis minus est sollicitum; ut hodierni cives satis sibi fore putent in litteris latinis utilitatis atque decoris, si graecas tantum dederint oblivioni. Haec est vetus et penitus defixa opinio. Quibus rebus non minus nobis officit morum vis et consuetudinis, quam detrimento sint, qui novis inepte studeant disciplinis. Sed minime, cum de litteris graecis tradendis disceptatur et utilitati consulendum est discipulorum, ratio illius habenda est vetustissimae deae, quam apte appellent homines « Traditionem » et quotidie venerentur, ego vero gauderem si Olympo expulsam vidissem. Quanto apertiore, et sinceriore, et probabiliori uterentur illi oratione, si minus trepidantes hoc statuendum ponerent: utrum *classica schola* in posterum esse deberet

an esset prorsus omnibus et e humanis litteris cum non trepidantes cives dictam scire possent. fit in publicis viri obsequio re vera utilisimo populo maiore labore quaerentis publicis quidquam inquam publicae qui gratia agi. Haec tantum tate sublata, in hierculae. Sed dum sit tibi per reformidare quae exspectare tam exponam, ut quod hominem, ut n peritiam, aut tiam visissimis publicis



MOR

SUPERIORE ANNI ferme ubique Novembr. funet iubente, ad aliorum, quae de erga mortuos decreveram. Re secretato, promissione summa meis haec fore sed fateor me, memorandis, alio SENIOR enim hanc mine vita, neque versa a nomine domum aeternitatem cuneter aliquantisperducit, quasi festinat, e colle animum et vire quamquam exigent restant, contemptu peregrinationis suorumque suorum finem inveniat?

Sancta et salutis est, nam veterum et sanctum conclusum: « mentis ».

Funerae quippe et quae circa nos vitae vi, gloria, teat omnibus inessant vanitatum, et affertur sapientiae mensculpto, ad quod

(1) Cfr. ann. III, nu

an esset prorsus abolenda! Haec esset perspicua omnibus et evidentissima quaestio; et si in humanis litteris una et pariter damnandis iudicium non trepidarent animi, haberent italici cives dictam sententiam, qua demum acquiescere possent. Sed longe aliter ac in privatis fit in publicis negotiis, cum saepe peritissimi viri obsequio cedere cogantur, neque quid sit re vera utilius, se quid placeat atque ineptissimo populo maxime blandiatur sibi magno cum labore quaerendum putent. Quare cum in ceteris publicis rebus, tum in re scholastica nequidquam inquisiveris atque disereveris quidnam publicae utilitatis gratia, quidnam obsequii gratia agitarum aut statutum sit. —

Haec tantum dixerim, amice, omni subtilitate sublata, importunae et imperitae isti mulierculae. Sed haud scio an minus mihi dicendum sit tibi peritissimo, cum videam te minime reformidare quidem subtilitates meas, sed non expectare tamen dum eas ego explicem atque exponam, ut qui iam intellexeris, et eum esse *hominem, ut minime te fugiat titubantem imperitiam, aut timidam prudentiam fere in gravissimis publicis rebus reperiri. Vale.*

ANGELUS CASTELLINI.

MORTUIS HONOR

SUPERIORE ANNO (1), quum agerem de iis, quae ferme ubique terrarum postridie kalend. Novembr. functis vita solemnia sunt, spatio iubente, ad alium annum distuli quae de moribus, quae de religione singulorum populorum erga mortuos hoc ego scribere in commentario decreveram. Redeunte die pietati tantae consecrato, promissa recordor, atque hisce esse religione summa optimum duco; neque lectoribus meis haec fore tantummodo placitura spero; sed fateor me, quamvis lugubri, tamen in his memorandis, aliqua cum voluptate immorari. SENIOR enim haec scribo, neque abluet a nomine vita, neque cognomen ipsum alia ac diversa a nomine promit; quid mirum igitur si, domum aeternitatis meae cominus aspiciens, cuncter aliquantisper in via, quae ad ipsam perducit, quasi viator, qui oppidum, in quod *festinat, e colle prospiciens, quasi recepturus* animum et vires refecturus quiete et mora, quamquam exigua, ad spatia emetienda quae restant, contempletur a longe locum, in quo peregrinationis suae metam, et laborum dolorumque suorum fortasse praemium, proculdubio finem inveniat?

Sancta et salubris homini cogitatio de mortuis est, nam vetus proverbium, idemque sacrum et sanctum est brevibus hisce vocibus conclusum: « meditatio mortis cogitatio sapientis ».

Funerae quippe ad sepulcra faces luce nos, et quae circa nos, tali perfundunt, ut ipsa in vitae vi, gloria, et iucunditate nos minime lateat omnibus inesse rebus mortalibus vanitatem vanitatum, et afflictionem spiritus. Ex hoc igitur sapientiae monito, mentibus nostris altius inculpto, ad quod non docti, sed facti, non

(1) Cfr. ann. III, num. XXI.

instituti sed imbuti sumus, defuncti coepti sunt coli, suadentibus maioribus primis, qui ab ortu quo propius aberant ac divina progenie, fortasse melius, quae sunt vera, cernebant. At haec in re idem fuit, quod vel uberrimis fecundissimisque campis plerumque, immo semper solet accidere. Pone frumentum et salubria quaeque hortensis muneris, cicuta et aconita exitialia, et amarissima absynthia nascuntur. Pone tumulos, ne dicam ex tumulis, furiale illud exortum est monstrum, quo nullum truculentius, nullum magis pestiferum a tigride ad aspidem, a cicuta ad *upas*, ab incendio ad diluvium humana per omnia bacehatum est.

Neque mihi fidem vestram postulo, neque meis verbis vos acquiescere volo, sed verba profero, quibus nemo inficias ibit; Sapientia enim Aeterna dixit, Sapientia, quae novissima et antiqua omnia ab initio cognovit antequam montes fierent et firmaretur terra. Haec itaque sunt (1): « Initium fornicationis est exquisitio idolorum, et adinventio illorum corruptio vitae. — Neque erant ante diluvium, neque erunt in perpetuum. — Supervacuitas enim hominum haec advenit in orbem terrarum, et ideo brevis illorum finis est inventus. — Acerbo enim luctu dolens pater cito sibi rapti filii fecit imaginem; et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere coepit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia. — Deinde, interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta. — Et hos, quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quod longe essent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt, ut illum, qui aberat, tamquam praesentem colerent sua sollicitudine ». Habemus itaque ex relatis, quod nulla nobis comparare potest historia, scilicet honores mortuis pervetusta aetate datos, eos autem, aestimante corde, ita processisse ut non absimiles haberentur illis, qui supremo Numini reddebantur. Qua quidem in re, dicam fortasse melius in scelere, si altius perspicimus Sanctissimi verba Libri, idololatricam effluxisse video non tam a nequitia patris dolentissimi, ac veluti non bene compotis sui ob adactum in ima animi vulnus, et fere dementis, quam a nequitia blandientium, et assentantium. Noseo matrem, noseo patrem, quibus mors, quotannis eodem mense rediens, filium eripiebat; sic usque ad ultimum vix primo e lustro exeuntem, ex quatuor quibus fruebatur, ademit. Uterque, quibus vita nihil praeter solitudinem ac dolorem, iam triennio ita vivunt, ut ferre extra mentem videantur. Quae enim cubacula, quae loca in mensa filii servabant, servantur adhuc; cibi, mantilia, cochlearia, furcae, cultri, sedilia, omnia denique parantur haud aliter ac si non obiissent; et siquae florum, siquae fructuum primitiae afferantur, mater in lance positas ducit in cubacula singula, dividit, relinquitque ante imaginem cuiusque filii, cui ardet lucerna nocte dieque; neque ulli ex domesticis et servis conceditur cubiculorum illorum curare munditiam, ornatum; omnia ita sunt veluti si viverent adhuc, et, quod mihi miserandum super omnia, neque me potui a la-

(1) Cfr. Libr. Sapientiae, Cap. XIV, v. 12-17.

crimis videns, audiensque cohibere, id fuit, cena absoluta (ubi loca quatuor illis, etsi non adstantibus, parata erant, cibique a servo cenae apponebantur) cena, inquam, absoluta, me ductum esse in illa cubilia, matrem pulvillos, lintea, stragula manibus delicatissima composuisse, quasi ne expergefaceret, deinde una cum viro bonam ominatos esse noctem, et unicuique filio postquam benedixerint rediisse.

Magna et sanctissima utrisque religio, quae maxime emicuit, quando « spiritismo » addictis invitantibus ut cum filiis colloquatur et visuri venirent, accersionem non respuerunt modo, sed horrerunt; at quid si religio minor esset? Quid si prorsus non esset? En brevis ad idolatriam lapsus.

At nos ad nostra properantes, unde digressi, ex adductis probamus, vel ante Indos, Aegyptios, Etruscos, Chaldaeos, maximos fuisse honores mortuis habitos; quam ad rem non nostris temur, sed verbis optimi Marci Tulli (in *Tuscul. Quaest.*): « Unum illud erat insitum praeis illis, quos *Casos* Ennius appellat, esse in morte sensum, nec excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret; idque cum multis aliis rebus, tum e pontificio iure et caeremoniis intelligere licet ». Atqui pontificium ius, caeremoniae Romanorum Numa satagente ex Etruria delatae sunt, collegiaeque constituta nova partim, partim addita iis, quae Romulus, Plutarcho teste, iam instituerat, credo ex Albanis, Latinisque moribus ac disciplinis. At, quod asseritur a Tullio antiquitatem supereminet vel Etruscam, quae plura tamen habet communia cum Aegyptiis, cum Indis. Si Etrusca sepulcra, quibus frequens est Etrusca omnis regio a Tiberi flumine ad Macram, scrutati fuerimus, in hisce inveniemus funebria cubacula ita plerumque disposita, ut orientem occidentemque solem certis lateribus habeant; eadem vero per viscera rupium excavata, pluribus interdum effossionum ordinibus superpositis, insuper depicta affabre et ita, ut nihil elegantius ac splendidius desiderari possit; adde quod ibi condita corpora pretiosis vestibus, annulis, armillis ac monilibus aureis gemmatisque coruscant, opere egregio caelatis, cura summa collopectori, brachiis, manibus iuxta morem addictis, denique diadematibus, coronis, ex quibus tria, quinque circiter ab annis, adspexi ramusculis, floribus, frondibus, luxuque artis omni ita decorata, ut mirabilia prorsus et ferre impossibilia factu artificii humano viderentur. Quid plura? Quae iucunda sepultis fuissent quum vivebant, cura summa acquisita, collecta, in sepulchrali cubiculo conclusa, ut si quando spiritus errans reviseret sua membra, delectaretur iis, quae vivens amaverat. Balsama hinc, odores, unguenta, cerussa, stibia et quae similia patriciarum in more sunt feminarum, hinc vel ipsae picturae per parietes deductae indulgentes genio, et morem gerentes indoli illius, qui condebatur.

Verum etsi pulchrum est haec aspicere, longe iucundissimum est ea considerare, causasque percontari, quibus ista fiebant. Scilicet eadem erat ac illa, quae Aegyptios ad pyramides aedificandas, et Thebaica illa monumenta, quae nomen a Luxor nunc habent; nec alia Etrusci in mausolaeo Porsenae ceterorumque, alia Ae-

gypti in mausolaeo Osimandiae, et Menephtae, alia Aearnanes in illo Mausoli aedificio, alia Sardinenses in *nouraghis* commoti sunt causa; sed una fuit, eademque omnibus, altius inelamante et suadente natura. Sentiebant enim omnes, nec animo quisquam deponet unquam, — neque amicis, neque affinibus, neque consanguineis tam cari capitis deminutionem recessamque aeternum deflentibus persuadere contra poterit, — esse vitam homini post mortem; hanc autem vitam non alienam ab iis, quae vivens adamaverat, et laetam fore bonis patratris, vel tristem conscientia seclerum et recordatione impietatum. Quapropter, si quae coram culpae essent, iudicio, quod hominis post mortem etsi regii constituebant, gravissimorum virorum probatae, sacrificiis, piaculis, precibus, votis illas delere conabantur; sin vero essent, si benefacta et virtutes defuncti passim ferrentur, tunc inscripti honores, laudationes et cetera, quae ad honorem et famam perennandam fieri possent. Haec Aegyptia papyra in monumentis reperta, haec passim picturae et anaglypta decent.

Qui ergo honores mortuis constituebant, hi, prouti tunc opinio, praesertim apud Aegyptios et Indos erat, particulam Numinis in unoquoque exstantem, quasi favillam aeterni solis, colebant; quam si quis pessimis patratris extinguere, vel tenebrescere tulisset, hic miseratione dignus, per lugubria diu vagatus loca, senta situ ac tenebriosa, nisi proximorum viventiumque pietas placasset Superos indignantes, per diversa animalium actus corpora pluries morti atroci subactus, tandem et cum humana specie, et eum Superis Inferisque Diis reconciliabatur, petiturus in *Amenti* ineffabile gaudium et laetitiam sempiternam.

SENIOR.

SPESI

*Quae vago lapsu volitas per orbem
Floribus blandam redimita frontem,
Spes, quot humanum genus in labores
Acrius urges!*

*Tu foves duri studium coloni,
Qui situ terram sterili rigentem
Gnavus exercet, domitisque mandat
Semina sulcis.*

*Te duce, externas properans ad oras
Mille mercator ruit in pericla,
Et procellosis fragili carina
Innatat undis.*

*Te per armorum sequitur tumultus
Miles exsultans sonitu tubarum;
Nec ferum pectus quatit imminentis
Mortis imago.*

*Te sibi poscit comitem benignam,
Qui super doctis vigilare chartis
Gaudet in noctes, operisque longo
Pallidus instat.*

*Non tibi credam nimium dolosae,
Saepe deludenti homines hiantes:
Spem sequar sanctam, meliora quaerens
Praemia vitae.*

A. BASILI.

EX AMERICIS

De Mac-Kinley praeside interfecto.

REPUBLICA foederata, quum pace eaque negotiis et discendi studio amicissima frueretur, infausto est et fatali percita nuntio, Mac-Kinleyum, praesidem illum praeclearum, per sicarium «anarchiae» asseclam confossum esse et morte correptum. Quam tristis Americanis et infelix hic, qui postridie nonas Septembres fuit, dies neopinato evasit! Omnes, horrore percussi, maestitiaque perfusi immane detestari scelus, praesidem in caelum tollere, eumque pro America subire mortem dicitare, multos «anarchiae» sectatores perquirere, repertosque in carcerem conicere.

Interea ubique reipublicae innumeri dissipati commentarii, qui — fausto utinam omine! — perturbatos iraque incensos eo compescuerunt animos, quod praesidem adhuc vivum esse



et incolumem evasurum enarrabant. Tot talesque commentarii unoquoque die prolati et ab Americanis non mediocriter captati, et avide lecti. Dubito sane, num ullus terrarum rex vel gubernator suo populo tam amicus sit et acceptus, quam gratus Americanis et exoptatus fuerit Mac-Kinleyus.

Utrum igitur necne praeses convalesceret, omnes, depulso factionis animo, dubii exspectabant. At nuntii, quamvis spei et exspectationi ab initio satisfecissent, paulo post tam prodierunt adversi, ut iam nemo esset, quin de praesidis vita desperaret. Neque eo secius postridie Idus Septembres, quum praeses suis succumbens vulneribus e vita excessisset; novus et, amore patriae accrescente, ingens Americanos invasit horror. Luctus ubique et tristitiae species; animi in «anarchiae» asseclas denuo incensi; et miror sane quot qualesque in istos ferantur leges.

Hic autem fuit in praesidem impetus. Uropolitani cives, qui splendidum illud Americanarum rerum ostentum condiderant (1), praesidem, reipublicae coryphaeum vehementer exo-

(1) De Americano ostentu ad Urbem Uropolim clar. ipse vir H. Doswald alteras ad nos misit litteras, quas in proximo numero edemus. — *V. U.*

ravere, ut inspicendi causa Uropolim adiret. Praeses ergo, quum hisce precibus pro sua humanitate annuisset et Uropolim advenisset, ostentum, magna spectatorum celebritate, lustrat. Hic in regionibus mos est, ut praeses, dum in publicum prodit, singulis, qui adsunt, hominibus dextram porrigat, non tam popelli amicitiam, quam suffragatorum gratiam sibi conciliaturus. Quo factum est, ut, quum praeses in Uropolitano illo Musicae templo morem hunc perageret, vir quidam novarum rerum cupidus praeter omnium opinionem accederet. Pyroballistula, quam iste in manu tenebat, sudario intecta, oculis non erat conspicua. Sicarius denique, ubi praesidem appropinquavit et dexteram porrigere simulavit, duas e pyroballistula glandes coniecit in praesidem, qui stupore immotus vix recedit, nec sentiendi facultatem amisit. Quum altera glans leve pectori inflixerit vulnus, altera, perfosso sub pectore ventre, tergo insedit mortemque deinde adduxit. Sicarius interim in terram prostratus pedibus manibusque adeo contritus est et conculeatus, ut non longe abesset, quin necaretur.

Heu! tres itaque reipublicae praesides per sicarios sunt interempti: Lincoln, vir ille illustris anno MDCCCLXV, Garfield an. MDCCCLXXXI, nunc autem Mac-Kinley. Quanam horum scelerum facinorumque causa et ratio? Repudiata est et abiecta religio, observantiae, pacis, honorum omnium fundamentum. Optime quidem Leo Pontifex cecinit:

*Vae segregatis Numine legibus!
Quae lex honesti, quae superest fides?
Nutant semel submota ab aris,
Atque ruunt labefacta iura.*

Scrib. Chicagine, V kal. Oct. MCM.

H. DOSWALD.

WILHELMUS THACKERAY

MILESIARUM FABULARUM SCRIPTOR (1)

SUIS in aedibus ad *Young Street* conditis, bilis puellis, quas ei uxor tristi amentia erepta dereliquerat, Wilhelmus Thackeray, Calcuttae natus an. MDCCCXI eum vita, quam diu prius adamaverat, deinde spreverat, in gratiam paulatim reverti coepit. Viduatus paene, commoda tamen et otia vitae non amplius despexit, neque philosophiam, neque bonas artes, neque amicitiam. Harum rerum nullam parvi ponderis habebat, etsi plerumque satyrici salis plenus, atque notis irridere paratus mordaci lingua: animus enim, rudi licet sub specie, mollis admodum atque suavis latebat.

Attamen post tertium supra decimum indefesso labore annum absumptum, inter anglicos litteratos viros nomen eius etiamtum ignorabatur. Prima iuventa cum Bulwer Lytton in certamen descenderat, qui quidem celebris iam diuturnitate temporis operumque, iuveni aemulo longe antevertebat. Tunc temporis enim Lytton ipse et Dickens praecipui summique auctores per anglicum orbem celebrabantur; inde magnum aliquid pertentare Thackeray oportebat,

(1) Cfr. scriptum MARIAE IACOBAE DARMESTETER in *Revue de Paris* mense Novembri MCM, et *Minerva* Italum commentarium an. X, vol. XX, n. 26.

ad sese a falsis abditus usque dum.

Meta sane a satis ampla: nanae, ac totius vphiam conformevenit, ut nocte percussus, e lecto veluti Salomon voce *Vanity fair* (dia): « Vanitas

Fabula quam orbis linguas praeluxit plurimitate, veritate quadam etiam totius operis e singulis paene vita versantur. posse credunt laboris, aut gloria ea tenere

Par teribus re

Omnes enim de bonos, sive malis sunt qui utilitate at unusquisque unquam beatus species vana in inutilis plane v eadem decepti

Vera quidem quoque et muti vera se animad neque ad animo vetur, ut Georgi « Nimio sui ipsi infelices omnes

At non subdit st hoc nostrorum bo humanitatem ne meta sit concor dinem assequi: proximos prae s amplius non pos

Vanity fair, u siae fabulae, fasc in lucem editum animadvertere epiendam auct exitum penitus

Edinburgh tarius, fabulae immortalitati sa scriptoris nomen lum descriptum vemque triumph Currer Bell mu suum librum ite eabat, eum tita

Profecto *Van* etoris monumen postea nec ipse experientia duc motus omnes vit atque futilem, o vivunt. Adde p representatione

ad sese a falsis nominibus, quorum sub larva abditus usque in diariis scripserat, vindicandum.

Meta sane auctoris oculis praelucebat, eaque satis ampla: movebantur eius in mente personae, ac totius veluti hodiernae vitae ad philosophiam conformatae rationes agitabantur. His evenit, ut nocte quadam, quasi flamine inopinato percussus, e lectulo repente surgeret, cum illud, veluti Salomonis, insonaret in auribus assidua voce *Vanity fair*, (Vanitatum nundinae, comedia): « Vanitas vanitatum et omnia vanitas! ».

Fabula quam inde scripsit in omnes exculti orbis linguas reddita est, vitaeque hodiernae praeluxit plurimis veluti summa ratio suavitate, veritate, leni ironia, atque moestitia quadam etiam enarrata. Quinimmo tristitia totius operis caput est: « Omnes homines — singulis paene paginis iterat auctor — soli in vita versantur. Hanc sese solitudinem vincere posse credunt vanis somniis aut amoris, aut laboris, aut gloriae: sed somnia sunt, nosque iam ea tenere putantes vana effugit imago ».

Par levibus ventis volucrique similima somno.

Omnes enim dementat nimius amor sui, sive bonos, sive malos: sunt qui suas cupiditates, sunt qui utilitatem suam adimplere contendunt; at unusquisque tandem de se uno cogitat, nec unquam beatus efficitur: est enim beatitudo species vana impervia cuique, vitaeque omnis inutilis plane visus; amor atque ambitio ad eandem deceptionem perducentur.

Vera quidem haec etsi tristitia; sed manca quoque et mutila: Thackeray enim satis est vera se animadvertisse ac reddidisse calamo, neque ad animos firmandos aut erigendos movetur, ut Georgius Eliot, ut Tolstoj satagunt. « Nimio sui ipsius amore — ille clamat — infelices omnes efficitur: vanitas vanitatum! » At non subdit statim: « Exuamus igitur nimium hoc nostrorum bonorum studium », nec unquam humanitatem novam evocat, cuius princeps meta sit concordia conatu communem beatitudinem assequi: nec fatetur unquam virum, qui proximos prae se ipso diligere coeperit, iam amplius non posse desperatione captari.

Vanity fair, uti solebant tunc temporis milesiae fabulae, fasciculis singulis, alius post alium, in lucem editum est. Primos tamen nullus lector animadvertere videbatur, iamque rem interceptandam auctor censebat, cum tria repente exitum penitus immutaverit.

Edinburgh Review, notissimus ille commentarius, fabulae maximas laudes vulgavit eam immortalitati sacram asserens: eodem tempore scriptoris nomen, ob *streptum* quemdam libellum descriptum facilem etsi ephemerum brevemque triumphum assequatur; pauloque post Currier Bell multis litteris mulier *Sane Eyre* suum librum iterum editum Thackeray ipsi dicebat, eum titanum, vatem, aquilam appellans.

Profecto *Vanity fair* maximum semper auctoris monumentum permansit, quod numquam postea nec ipse quidem aequavit. Fuit enim experientia duce opus digestum, quod sapit motus omnes vitamque civitatis, eamque vanam atque futilem, qua passim honesti ordinis cives vivunt. Adde praeterea ad morum verissimam representationem patriae historiae gesta optime



« La Guaira », litoris prospectus.

descripta, iis praesertim in capitibus, quae anglicum exercitum ante Waterloo pugnam Bruxellis moram trahentem referunt. Quas immo post evulgatas paginas gloriam scriptor adeptus est, etsi tamen non aequum ferme pecuniae fructum retulerit.

Anno MDCCCXLVIII, paucis post diebus a *Vanity fair* libro expleto, Londinum auctor reliquit, atque Spa in urbe novam scribere coepit *Pendennis* titulo fabulam insignem, quae eodem anno exeunte edita est, quamvis infecto adhuc opere, nimio labore exhaustus, vir gravissimo morbo fuisset correptus, quo ad letum paene perductus est.

Pendennis, suavis quidem lenisque liber, quo in scribendo fracta prope auctoris valetudo veluti coniecitur, *Esmond*, tristissimum eius opus, cito subsequi vidit, in quo saeculum XVIII, scriptoris prae reliqua historia carissimum, effingitur.

Nec erat tamen ei, quamvis immatura senectute correpto, quietis locus; sumptuariam enim nimis ducere vitam assueverat, dotemque filiabus constituere cupiebat quam maxime, et aequum vivendi modum amenti uxori. Tunc eum invitarunt ut publicas orationes haberet, quod reapse fecit, dissertationes pulcherrimas de optimis anglicis scriptoribus, qui saec. XVIII ironia usi essent, describens.

Opera quae huc usque memoravimus quaeque ex eius scriptis recensentur maxima, historia secuta est de regibus Angliae quatuor Georgio nomine. Tria sic mens illa uberrima sui laboris omnia volumina absolvit: reliqua quae scripsit decem numero minorem laudem assequuta sunt. Pulchra tamen in iis quoque renidere saepe nemo neget, ut, exempli modo, in *Newcomes* longissima fabula, qua per militis cuiusdam, senis nobilis, generosi, splendidi, personam tamquam novum propriumque *Quijote* litteris relinquit.

Ceterum, orationibus per Angliam, per Scotiam, per Americam passim habitis dives paulatim scriptor noster ita rediit, ut reliquam suae vitae aetatem potuisset in quiete traducere. Ille autem prout labori assueverat indefesso, operam numquam intermisit, etsi eius mortem properare maturius amici passim, eosque inter Carlyle ipse, praenunciarent. Iamque ad vitae finem inscius pergens Annae Reginae historiam describere in animo habebat, cum contra ad moderandum novum commentarium *Cornhill* mercede multa advocatus est. Tunc quidem arcem condendam sibi suisque curavit; at tandem ipse quoque mortem instare persensit, quam habuit quodammodo a Lutiensi medico praenunciatam, et lectoribus suis efficta fabula ipso in commentario praedixit, etsi nemo rem veram ficta sub specie latere coniecitaverit. A *Cornhill* itaque moderando anno MDCCCLXII recessit, atque *Denis Duval* novam fabulam scribere coeperat, cum eodem anno, in vigilia Dominici natalis, defunctum in lectulo vix secundo post quinquagesimum eius vitae anno invenerunt. Ita vir, qui mortis iam diu atque continenter cogitationem habebat, inopino eius ictu sublatus est, paratus vero ad valedicendum vitae illi, quam a prima usque inventa minimi fecerat, utpote pulcherrimam quidem, at asperam, at labore durissimam, at rigida solitudine ingrati.

I. ANTONELLI.

« LA GUAIRA »

ACCEPTIMUS et suo tempore in nostri commentarii *Annalibus* retulimus, Venezuelam et Columbianas regiones in Australi America simultates inter sese exercere, immo ad arma venisse. Post paucos, neque eos satis exploratos, nuncios, telegraphus de belli eventibus

siluit, unde profecto odium remissum pacemque redintegratam conici posset, nisi privatae litterae contra docuissent. Non erit igitur abs re sub lectorum oculis locum ponere, in quo forte, dum scribimus, arma saeviant acrius.

La Guaira, portum Venezuelanae reipublicae principem dico, quinque circiter millia passuum a Caracas urbe capite dissitum, industriam quidem civitatem, locumque natura amoenissimum, quippe ab uno latere montibus, ab altero saepiatur mari, salubrique caelo magis quam ceterae litoris plagae gaudeat.

Haec autem ora fuit prima, quam Columbus vidit, cum in tertio quod aggressus est ad Americas iter, anno MCCCXCVIII, Orenoci fluminis aliquantum subiit; tractum vero interiore insequenti anno alii nautae cognoverunt, inter quos Americus ille Vespucci versabatur, quem omni Americae ex se nomen dedisse fama est.

FORFEX.

PERITURI SIDERIS INCENDIUM

SINGULARE atque idem egregium in caelo portentum recens micuit. Pone Cassiopae sidera, omnibus nota, per Galatiam, nempe «Viam Lacteam», sidera quae nominantur a Perseo

sunt. Inter haec ex abrupto stella, maiores inter ignes recensenda, coruseavit, atque astronomorum, quin etiam populi ad se rapuit oculos tam subitam tantamque lucem demirantium. Prior respexit nunciavitque Edimburgensis Anderson quidam, astronomicis, delectatione tantum sua adactus, inserviens disciplinis, idque se comperiisse et animadvertisse dixit nocte, quae a IX^{no} in VIII^{mo} ante kalendas Martias diem porrecta est. Iam nec levis labor astronomicarum peritis rerum impendit, nec leve sermocinatoribus argumentum suppetit; illis ut scrutentur quid sit, causasque inquirant ab effectibus, quos deprehenderint; hisce ut rem omnem omnes in partes versent, siquid inde timendum sit, si sperandum, si ex conflagratione illa mirabili aliquid simile soli nostro, qui et stella, quamvis minor, est, imminet, vel possit imminere in futurum, quidque inde orbi terrarum reliquum sit, vel esse possit.

Novum omnino quod videmus non est, siquidem plura fuerunt sidera, quae praeter expectationem omnium improvise apparuerunt. Celeberrima inter celebres illa fuit stella, quam anno MDCCLXXII, XI^a nocte mens. Novembris, Tycho Brahe Danus, astronomus magna adhuc in laude, contemplatus est, quae et stella Caroli Vⁱ Augusti, et stella caedis, cui a S. Bartolomaeo, in Gallia nomen est, fuit appellata. Vulgo enim persuasio inerat et rerum publicarum casus, et

graviora infortunia regnorum, et dominantium exitus, denique quaeque lugubria, ostentis in caelo signis vel praenunciari, vel compleri, vel absoluta quasi quodam sigillo muniri, quo certiores fierent homines divino contigisse nutu, siqua accidissent, divina ferri dextera, quae ventura impenderent.

Cometes hinc non modo semper et servati, sed et in annales relati quam diligentissime; et memini me vidisse librum, qui talia ferret digesta per annos, mox infaustum omne quod postea contigisset, quod antea, plus minusve proximum fuisset, industria summa notatum; atque ita, quamvis id minime exprimeretur sententiis, sententia tamen suapte vi, et veluti syllogistico iure quaesita, stabat; pestilentias, diluvia, incendia, procellas, bella, terraemotus, discordias, luctuosum, funereum omne caelestibus hisce indicibus decorari. Quod vero tunc maximi terroris causa fuit apud plerosque quaerendum est ex opinione de ingruente rebus omnibus fine, de iudicii supremi die iam ad ianuas, praesertim cum sideris illius tanta lux esset, ut vel ipso die lumine solis minime obrueretur. Verum haec hodie plebem minime movent, quum causae rerum semel innotuerint, et astronomicas causas docti viri palam omnes docuerint, diariis praesertim usi, et popularibus prae ceteris. Recordor tamen fabulas nuper in vulgus iniectas de comete, qui in orbem terrarum irrueret peni-

3]

COMMUNIA VITAE

Latinitati utile,
recens, vaporitruha rapiente, iter.

Rubuit indignabundus, ut puto, nasutus ille, quem nos nasalis aedificii gratia Truonem nuncupamus, et: — Ego — respondit — nec Romae natus, nec Romanae sum gentis ab stirpe ultima exortus; at Romae, quae gentibus est omnibus cultu, religione, humanitate ALMA PARENS, quisnam exterus? Insuper vestra me existimo non modo benevolentia dignum, sed perinde talem, cui benevolentia vestra iure debita sit, praesertim a vobis, qui sciatis me exemplaria latina, Horatio morem praecipientem gerentem,

nocturna versasse manu, versasse diurna,

et ab unguiculis in haec incubuisse, et quadraginta ferme per annos tenacem propositi vigilasse, adlaborasse, insudasse. Quid plura? Deceam ab annis me fautor, Nominativum et Genitivum quae attingunt expletis, in Dativis considerandis hactenus immorari. —

Taenti tunc ego: — Et laudo quod feceris vigilans, laborans, insudans, et constantiam tuam Superi omnes Inferique Dii, constantiam tuam istam tibi fortunent, annosque concedant Nestoreos, ut aliquando possis Ablativo potiri! Sed aliud, crede mihi, est vigilare, adlaborare, insudare, aliud est aliquid utilitatis attingere, aliud et est callere et usucapere. Cave Apostolico ne similis sit labor iste tuus...

Ac Truo: — Equid fecerunt Apostoli, quod inane inde fuit?

Et ego: — Totam noctem laborantes, piscationi quippe dabant operam, nihil ceperunt! —

Ridebat usque Forfex, et me pede tentabat, ut vehementius urgerem; sed ipse Truo silentia rumpens ansam obtulit, qua carperem: — Ego, — inquit, — inania et nubes minime, sicut aranea, capto; sed in ea latina incumbo, totus incumbo, ut fiam non mediocre Romanis litteris adiumentum; siquidem latinae grammaticae librum scribo, in quo singula noto quotidie, quae in quotidiana lectione librorum latinorum occurrunt. —

Tunc ego, quasi horrens citius protendens ambas in illum manus: — Ne facias! — exclamo — ne facias! Multorum enim camelorum comparabis onus, nec adiumentum, sed iumentum, sublata «ad», nominaberis. Qui enim discipuli tuo isto libro, immo tua bibliotheca ista utentur, ante videbunt mortem, quam praeceptorum tuorum summam finemque adipiscantur.

Quidquid praecipias esto brevis!

Ita iubet Horatius, cuius acquiescere sententiae necesse duco, nisi ridiculi prorsus esse velimus. Propterea quod cave, ne ossiculatim doceas, praesertim cum te spinas ab ossibus minime videam separare in dicendo: equid ergo in docendo? Amabo te, si aegre non feras candidius monentem; amabo te si me bonus audiveris; non enim te, non alium quemvis, sed rem aequam, et sanctam in medium profero. Sibi constare debet oratio, sibi sermocinationis modus. Neminem laudabo, qui, expolitis litteris ac disciplinis, horridulo illo scribendi ac dicendi modo, qui arcaicum sapit, nunc uti voluerit ac delectari. Numquid repetam Ciceronis verba in libro *de Oratore* satis cognita, quae ipse Cottam et ceteros, qui arcaica in oratione referebant suo tempore, feliciter increpabat? Atqui illis arcaicis Sallustius morem gessit... Esto; non Livius, non Terentius, non Vergilius, non Flaccus, non Cicero habuere tamen in deliciis; nec quis ideo latine scribit quia scribit «maxime, optime, omneis, mortaleis, lucei» et similia; sed latine ille scribit, qui abstinet hisce vetitis et obsoletis, et usu et more optimorum a consuetudine amotis, conveniet cum iis, quibus

*.... dedit ore rotundo
Musa loqui;*

iis, inquam,

Quos penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi.

Nemo itaque me vituperet si iis non acquievero, quibus nec Terentius, nec Cicero, nec Vergilius, nec Ovidius, nec Tibullus, nec Flaccus acquieverunt, si ea repulero, quae ipsi tamquam vel plebeia, vel horridula repulerunt. Cur latinitatem retro agemus in arcaicam aetatem? Movet me quippe Saliare Carmen, et Arvalicum allicit! Et cur expolitam patriciorum Quiritum linguam in sermocinationem reiciemus plebeiam, servilem, atque pedestrem? Cur impingemus

in undas prosodiae flamine commotas, quarum impetu naufragium facere necessum est? Videte quae ad tertiam declinationem pertinent; qui loco «mortales, omnes» et similia scribat «mortalis, omnis» et huiusmodi cetera, hic primo singularem numerum cum plurali confundit; dein desinentiam per sillabam «es», quae longa, praeter excepta Graeca, semper est, commutatam in «is» brevem reddit, magna, mehercule!, cum laetitia et plausu sanctissimorum poetarum, qui scribentes olim, uti Vergilius (*Aeneid.*, lib. II):

Mortales habebat visus tibi,

se nunc, iudicantibus abnepotibus in exámetro, pro dactylo pede,

Mortalis habebat visus tibi

scripsisse mirantur! Quamobrem qui voluerit ad horridiora arcaismi retro patricium sermonem adigere, Vergiliana, Propertiana, Horatiana Musa frustra expolitum, restituat diptongos, quibus olim breves a longis vocalibus discernebantur, et scribat «omneis, mortaleis, lucei»; et similia semper eodem ritu distinguat. Aut arcaico fideliter inserviendum, aut omnino relinquendum iudico: «nemo enim potest duobus dominis inservire». Nemini autem, his diebus, qui nunc sint, etsi scitissimo, licet illa mutare, quae Lactantius, quae Damasus, quae Augustinus, quae Ambrosius, quae Hieronymus, quae Prudentius, quae Thomas, quae Manutius, quae Sannazarius, quae Sadoletus, quae Muretus, quae Bembo, quae Gandinus, quae nunc vel ipse Leo Pontifex, latine dicentium ac scribentium aetate nostra facile princeps, fidei usu, sapientia mira et peritia, a maioribus accepta nostris, quos et Romanos et Latinos esse nemo inficiabitur, constanti manu, facienda lingua tenuerunt. Quapropter hisce, quae ferme crepundia sunt, et otiosae quaestiones, vel posthabitis, vel abdicatis, (non enim Seytharum populus de sermone nostro bonus est iudex, prouti nos nec boni iudices erimus de sermone Seytharum), sequamur officio patrio quae maiores nostri tum recentiores, tum antiquiores tradiderunt, nam penes eos arbitrium et ius et norma loquendi scribendique erant, quibus et subesse et acquiescere necesse est. —

(Ad proximum numerum).

H. DE VECCHI PIERALICE.

tusque quassa
spectationem.
illa praenunti
abire domo pa
succumberent

Dico igitur
expectati ac
reliquum est
mos est, voces
in trepidatione

At, quamvis
stat non min
cant, phases
gularitate rei,
scendum, quae
iudicium fiat.

pium» dicimur
in iudicanda
fervet; nam e
luci sit, cum
magnesium, et
mus, patet bo

ea esse metall
scationes a spe
aeriformia sim
«aetheriformia
nium, hydrogen
buruntur, parit
nehimur de pa
cludemus illic

millia esse; ins
sunt, lineis in
ferme proculdu

Ferme, inqua
eam esse lucem
itemque aether
cem, ignoramus
corpora et aeth
gnant effectus.

diversa autem s
coniecturare fas
astra, quae cand
quae flavum qu
nescere quot rul
Has autem ut
riades millenni
merandae sunt
clara, flavescem
possit experient
inchoata, magis
rioremque color
sententia quasi lar
ginem veluti in
fiant.

Exstincta di
enim intus est
lum sideralia
lerunt; at inte
subter fremente
que supremum
xima, atque ae
et praecipua s
nempe oxigeniu
insunt quot me
et decies aere

quotquot sunt ce
constant athomis
videtur aut fui
aut ab ipsa ath
aetheriformibus

tusque quassaret, et recordor trepidam plebis expectationem, muliercularumque terrores, quae, illa praenuntiata hora, neque viros, neque filios abire domo passae sunt, ut... simul saltem una succumberent!

Dico igitur huius fulguratione sideris haud exspectati ac praevisi nondum gentes terreri; reliquum est ut nemo terrificas, ex his quibus mos est, voces effundat in vulgus, quae pronae in trepidationem animae terreantur.

At, quamvis nihil inde timendum sit, praestat non minus et intueri et sequi, prouti vocant, phases huius incendii, tum ex ipsa singularitate rei, tum ad aliquid doctrinae adipiscendum, quae analogiam inducat, uti de ceteris iudicium fiat. Instrumento, quod « spectroscopium » dicimus, non medioeri utimur commodo in iudicanda materie, quae solibus in his effervet; nam cum sciamus eodem quid laboris luci sit, cum ex. gr. aurum, platinum, ferrum, magnesium, cuprium, argentum rutilare cogimus, patet bono iure inferendum in illis astris ea esse metalla, quorum proprii radii et coruscationes a spectroscopio tradantur. Iterum cum aëriiformia sint nota illa, — melius fortasse « aetheriformia » appellabo, — quae nos oxigenium, hydrogenum, etc. nuncupamus, quoties comburuntur, pariter quoties ope spectroscopii monemur de pari luce in quovis astro, iure concludemus illic oxigenium, hydrogenium et similia esse; insuper proportionem, qua inter se sunt, lineis indicante suis instrumento, rite et ferme proculdubio callebimus.

Ferme, inquam, proculdubio; nam etsi scimus eam esse lucem propriam metallorum A, B, C, itemque aetheriformium α , β , γ , eam esse lucem, ignoramus tamen utrum in creatis alia corpora et aetheriformia sint, quae eosdem gigant effectus. Quot sunt sidera, totidem soles, diversa autem singulis aetas; hanc vero ex luce coniecturare fas est, ita ut juvenescere dicamus astra, quae candide luceant; viriles iniisse annos, quae flavum quid, quasi topation, reddant; senescere quot rubescant brevi tenebris operienda. Has autem ut sol noster pereuratur vices, miriades millenniorum et miriades miriadum numerandae sunt; constat ceterum sidera esse clara, flavescencia, rubra; rubra vero, siquid possit experientia vix duobus abhinc saeculis inchoata, magis magisque in deteriorem obscurioremque colorem quotidie cadentia ac senescencia quasi languore aliquo squallent, et aeruginem veluti inducunt, donec penitus invisibilia fiant.

Exstincta dicimus, non exterminata. Vita enim intus est, intus est calor, cui iuge bellum sideralia frigora non sine victoria intulerunt; at interea quasi ex fornace immensa subter fremente aetheriformia exhalant, orbemque supremum praecingunt sphaera quam maxima, atque aetheriformia haec duo praesertim et praecipua scimus omnibus inesse solibus, nempe oxigenium atque hydrogenium, cui tot insunt quot metallis adiuncta, ac tamen quater et decies aëre nostro levius est. Cum autem quotquot sunt corpora coeuntibus, plus minusve, consentent athomis, hydrogenium, quod ubique est, videtur aut fuisse rerum elementum primum, aut ab ipsa athomorum coesione prae ceteris aetheriformibus emicuisse. Quapropter aut ha-

bemus materiam, quae dicitur « cosmica », pulvisculo aëriiformi similis, qua in centrum coeunte, ipso impetu hydrogenium erupit in rerum exordio; aut habemus hydrogenium ipsum rerum omnium elementa secum ferens, quod vel magna cosmici pulvisculi pars, vel, idem ac materia cosmica, fit aliquid inseparabile a corporibus, quae primo cohaeserunt, et quasi illo pronubo copulata mox et constricta sunt. Hinc splendor ignisque siderum est aliquid emergens ex attritu et procella cosmici oceani, quae, in centrum tendens quovis momento temporis, et quovis momento pariter a centro, electricidis ministerio, repulsa, sine more et quiete agitata, fluctuans, aestuans, ebulliens non sinit quiescere hydrogenium, et perpetua conflagratione inenarrabili soles conficit, quos videmus.


Ubi ergo diuturna ebullitione crassiores materiae partes centro obtemperaverint, et coalescentibus quotidie novae ex gravioribus athomis additae fuerint, veniet profecto tempus, quo vel suprema strata ebullire desierint, et in pace componantur. En itaque siderum genesis, vita, et mors. Ne credas tamen dormienti Vesevo; quippe hydrogenium, quia levius corporibus, et ipso aëre levius, supernatat, ibique cum oxigenio dormientem sphaeram tenebrosam involvit. Quid si electrica quaevis causa, puta fulmen, neque enim hisce sideralia corpora carent, quid si fulmen illum hydrogenii oxigeniique cumulum incendat? Quid si ipse attritus orbis id cieat? Flagrabunt omnia incendio immani, immanibus flammis, rursusque splendebunt instar solis quae in tenebris delituerant.

Ita porro novum inibit saeculum, novamque aetatem inibit sol, nuper tenebricosus qui fuerat, novamque una cum luce et calore in circumactos planetas vitam diffundet; postea tenebrescet iterum, iterum resurrecturus. Quapropter haec ex Academia Astronomica Parisiensis de novo emicante sidere Ianssen: « Ubi astrum satis frigerit, e superficie ipsius emanabit oxigenium, quod hydrogenio copulatum dabit aliquid pronum ignibus concipiendis cum tonitru. Electricide interfulgurante, quod quidem astris commune et fere quotidianum scimus, horrendum tonans flagrabit incendium, quod tamdiu ardebit, quamdiu assumpta fuerit penitusque in aliud elementum conversa materies, qua flammae concipiebantur. Atqui in chymicis officinis nostris, ubi nos oxigenium et hydrogenium, copulata aëriiformia, electricae scintillae apponimus, statim vapor cietur aqueus ex illa conflagratione, qui mox in pluviam convertitur. Itaque, aut ego fallor, brevi sol iste novus, qui inter Persei sidera rutilat, vapore aqueo, nempe nubibus, offundetur atque pallescet; ac mox immensae profundissimaeque istae nubes resolvuntur attacku sideralis frigoris in effusos imbres, in diluvia, quae solem penitus cooperient, et omnem lucem extinguunt, et quod modo lucet astrum, non sole ipso minus coruscans, convertetur in opacum orbem, instar ceterorum planetarum, cui tamen tenebris obruti planetae, quasi satellites, morem gerent, ut luna orbi nostro, circumequitantia per inane coemeteria tot rerum, quae in ipsis aeternum periere! »

Quid feram de hisce hypothetice quidem, sed ingeniose cogitatis, commexis atque prolatis? Fateor me hic multa reperire quae in *Genesi*

legi; scilicet disposita olim iam omnia, et caelum a terra divisum, atque id congruere potest rutilanti primum soli. Hoc exstincto, libenter lego quod circumeuntes planetae essent inanes et vacui, et tenebrae essent super faciem abyssi. Libenter et lego, repente ex electricis ignibus flammis in hydrogenium iniicientibus, quod facta sit lux; dein legam et maria, oceanos non distributos, et non congregatam vim aquarum in locum unum, et postea oceanos dispositos, et maria coercita litoribus. Legam et plura; at modo exspectare praestat quid Astronomicae ephemerides sint relaturae.

M. LANI.



DE HOROLOGIIS (1)

Hisce autem, quae superius diximus, apparet apud Graecos Homerica aetate tempus, diem scilicet, distributum per horas fuisse. Certe serena nocte, stellis numquam fallentibus, divisio facilior. Quomodo diebus horae principabantur? Machinane, an solis umbra, vel clepsydra? Nescimus. Si autem horae duodecim diei, et totidem nocti praefuerunt, indicat et hoc Aegyptiorum, Hebraeorum, Etruscorum, Chaldaeorumque ritu fuisse, qui omnes veluti sacrum XII habuerunt, atque in astronomicis, in sacris, in politicis consecrarunt. Lego quidem Plinium (2) ista scribentem: « Umbrarum rationem, et quam vocant Gnomonicem invenit Anaximenes Milesius, Anaximandri discipulus, primusque horologium, quod appellant sciotericum, Lacedemone ostendit ». Utique, Lacedemone ostendit; siqua enim urbs, siqua civitas ab Hebraeis est, ipsa Sparta est, Spartataeque sunt; quod ex Machabeorum libris exploratum probatumque est. Et en quomodo veritas veritatem, et res rem postulet atque inducat.

Verum antequam a Graecis abeamus, operae pretium est cognoscere Anaximenem istum vixisse ducentis ferme annis post Achaz, Hebraeorum regem, cuius nomine et voluntate constitutum fuit Hierosolymis horologium, quod « solare » vocamus. Itaque cum Esaias Propheta Ezechiae regi optionem prodigii dedisset, eligendi prout vellet, cumque petiisset aegrotus ut solis umbra in horologio Achaz decem lineis retro gradiretur, atque ita factum esset, dicendum est a lineis illis non modo horas, sed et horarum dimidia fuisse indicata. Ceterum qui de hoc horologio plura scire, ac de forma et modo indicis cupiunt, adeant Calmet in I Vol. *Dissert. Bibl.*, et quot sunt commentatores et declaratores, et a nonnullis accipient tanti fuisse prodigium, ut eius fama Asia tota pererebesceret, legatque a Merodaco Balanio, qui rogarent de re, Hierosolymam missi fuerint; accipient etiam fuisse qui dicant ab Achaz inscriptum, dein fuisse a templi atrio dimotum, atque in forum fuisse coram regia arce constitutum, in templo autem una cum aeneo mari olim a Salomone illo sapientissimo positum!

(1) Cfr. num. sup.

(2) *Hist. Nat.*, Lib. II, cap. LXXVI.

Nos autem veluti compendium facientes hic ponimus primum in Aegypto diem fuisse in horas dispositum; Macrobio teste, ac teste Polydoro Virgilio hisce nomen ab Horo datum; addente hoc postremo quod «Hermes Trismegistus, cum sacrum quoddam animal serapidi dicatum quotidie duodecies mingere, pari semper temporis intervallo, observasset, per duodecim horas diem dividi debere coniecit. Exinde hic horarum numerus longo tempore custoditus, postea in viginti quatuor horas (nocturnis totidem additis) divisus est dies». Ex Aegypto in Iudaeam processit inventum, atque iubente Achaz vel publici iuris, vel publica impensa factum. Utrum ex Aegypto, an ex Hebraeis, quorum consanguinitas cognatioque cum Graecis, praesertim Spartiatis, certissima, migrarint in Graeciam haec horologia, incertum; migrasse Anaximenis opera exploratum est. Mox a Graecis in Italiam, melius dicam, in Urbem delata videtur, ceu fert Plinius (1). Huic tamen asserenti difficile est acquiescere, nam ipsi pro argumento deficientiae est nulla in Legibus XII Tabul. de horis et horologio facta mentio, sed ortus tantum solis et occasus notatus in illis. Quod ego quidem iure factum, scriptumque puto; nam in Legib. XII Tabul. semper de die integro, non de integra hora, neque de horis agebatur, neque ita XII Tabulae habendae sunt quasi essent astronomicum emporium, vel emporium indexque rerum omnium quae noscerentur.

Diebus nostris in codicibus legis nihil de astronomia invenies; numquid ex hoc argumentum ad omnem astronomicam rem nostra aetate negandam? Non erat horis locus in XII Tabulis, et ideo nulla de his facta mentio. Cedo Plinii verba: «Duodecim Tabulis ortus tantum et occasus nominatur; post aliquot annos adiectus est et meridies, accenso consulis id pronuntiantem, cum a curia, inter rostra et graecostasim prospexisset talem solem... a columna Maenia ad carcerem inclinato sidere, supremum pronuntiabat. Sed hoc serenitas tantum diebus usque ad Punicum primum bellum. Inter belli illius praedas horologium solare in urbem illatum est; at errore rudium hominum ita collocatum, ut ad horas eius lineae non congruerent, cui tamen Romani undecim annis paruerunt, donec Q. Marcius Philippus, qui cum L. Paulo fuit censor, diligentius ordinatum iuxta posuit, idque munus inter censoria opera gratissime acceptum est».

Rerum exordia longius me traxere quam existimabam; inde brevior erit via tametsi de duabus horologiorum speciebus nunc agendum restet, nempe de clepsydris pulvere vel aqua in ampullis horam signantibus, ac de horologiis, quibus nunc utimur, dentatas rotas habentibus. Illa vetustissima et proxima solaribus, haec recentiora et nobis vicina, utpote quae XV saeculum non excedant. At quid, si tertium genus addidero, horologia idraulica, non modo annis abhinc mille et ultra esse confecta, sed vel Pontifice Romano moliente fabricata?

(Ad proximum numerum).

G. P.

(1) Lib. VIII, c. LX.

ANNALES

Mauritanae sponsiones — Seditiones Hispanenses — Persica odia civilia — Columbianum bellum — Transvaaliana.

MAURITANII imperii magistratus Europaeorum gentium, quae eorum circa fines suas colonias possident obtestationibus tandem obsequentes, promiserunt sese proxime iustam legionem militum in montes missuros, qui abditos inibi transfugas atque latrones persequantur armisque expolient cohibeantque, ita ut non valeant deinde amplius in planitiem ad sua perpetranda facinora descendere.

*

Iberis haec peroptime cesserunt, his praesertim diebus, quibus sua litora occupari passim seditionibus et tumultibus moestis lugent. Exarserunt haec prae ceteris ad Hispalim, ita ut militari imperio civitatem committere oportuerit. «Anarchistis» maxima rerum pessimiarum culpa adseribitur: multitudo opificum, qui suis ab operibus recesserunt vias turmatim clamore immani perecurrit, rubra nigraque vexilla attolentes, infanda quaeque civibus imprecantes. Carmelitarum Sodalium sacrae aedes vastatae, tandemque, occurrentibus cohortibus, disiecta, at ferme multa cum clade secessio est. Pistrinae interea officinae, castrinae, tabernae, barbaro furore petitae: athenaei aedes ipsae incolumes ab insana rabie non fuerunt tumultuantium, qui ad triginta millia hominum et amplius dinumerabantur.

*

Cupiditate regni Afganistan in finibus eadem admitti visa, Russis hinc, Anglis inde adversas factiones incitantibus ad bellum. Modo Abib-Ullah, qui in thronum successit, ne pessumdaretur sanguine patria, solemniter edixit sese benigne in subditos acturum, et vectigalia imminuturum, militibusque stipendia aucturum promisit. Capta forsitan sponsionibus plebs a fraterno sanguine pro nunc abstinere.

*

Quod o utinam voluissent pariter Venezuelani atque Columbiani cives! Qui quidem Nordicae Foederatae Americae minas et consilia spernentes, ad La Guaira in litore, ad Hacha fluminis ripas praelia commiserunt. Columbianis militibus victoria arrisit de Venezuelanae reipublicae perduellibus, quorum in auxilium multi ex ipso reipublicae exercitu ecurrerant; exque eorum ducibus Echevenia, militum imperator, captivus ad Curuzno factus est: Davilo autem, perduellium proprius princeps, vulneratus actusque in fugam. Interea Caracas in portu pugnavissent forte ballistariae naviculae nonnullae, nisi Gallica quaedam navis sese interposuisset, ut utramque partem nova a caede contineret.

*

Si quis autem quaerat Boerorum suprema gesta sciat oportet, ineunte mense Octobri iterum atque inopinato Boerorum cohortes ad Delagoa fines apparuisse; Anglica tunc auxilia statim missa hostes aggressa, ad fugam vertit, et Scheepers ducem captivum fecit. Delarey autem atque Kemp duces iunctis copiis trans Vaal cum descendissent Lindley urbem petunt, dum Lotter dux eiusque centurio Schoeman iam capti ab Anglis morte muletantur, quae quidem

poena etiam in alios duces, inter quos Wolfaart centurionem ob incensas ab eo vehes et domus, constituta est; sed tamen terroribus indomiti Boeri excursus prosequuntur, urbem caput iam suam agminibus rursus petunt, suburbia vastant, seditionem augent, cohortes novis thronibus reficiunt!

POPULICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Austria apertae iterum municipum oratorum sessiones. Nunciatum primo de nuptiis felici auspicio initis ab Elisabeth Maria imperiali ex genere magna duce cum Othone principe, ex gente Windschgraetz: fausta itaque omina oratorum nomine Caesari oblata. Bohm de Bawerk, aearii administer, summam expensarum pro futuro anno adprobendam exhibuit. Gross atque Deschatta oratores rogationem de coercenda quae forte imminet sodalium religionum immigratione ultro obtulerunt; verum a De Kaerber praeside statim prorsus reiectam viderunt.

In Iberia Weyler, summus belli curator, restitutam Hispali quietem oratoribus publica in sessione nunciavit: de minuendo militum numero rogationem legit.

In Serbia coram rege et regina sessiones publici coetus resumptae.

SCRIBA.

AENIGMATA

I.

Multiplicat pars prima, sed altera demere
[gaudet:

Hanc illi vinelo iunge tenace tamen.
Exoritur numen fines defendere sollers,
Ipse cui cessit Iuppiter Altitonans.

II.

Humani princeps generis pars prima; Qui-
[ritum

Alter pars quondam vile nomisma fuit.
Additur haec illi? Visu mirabile! — prodit
Insignis specie duritieque lapis.

FR. PALATA.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus novissimum, cui titulus:

AD LEONEM XIII
CARMEN QUOD CECINIT
IANUARIUS ASPRENAS ROCCO.

Aenigmata a. IV, n. XVII proposita his respondent:

1) A-cervus; 2) Magalia, Magnalia.

Ea rite soluta miserunt:

Guil. Schenz, *Ratisbona*. — D. Le Provost, *Briocen*. — Princ. Gordon, *Mancunio*. — Phil. Conconi, *Balneoli sup.* — Fr. Sallarés Sch. Piar., *Sabadello*. — F. Arneri, *Mediolano*. — Ioan. Cantono Ceva marchio, *Ronco ad Bugellam*. — Ios. Walter, *Neo-Eboraco*. — Ad. Skrzyppowski, *Swinice*. — E. Burg, *Argentorato*. — Collegium Sch. Piarum *Stellae*. — St. Figielski, *Pypino*. — I. Szymaitis, *Opitolohi*. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Ad. Haza, *Grybovia*. — Petr. Garone, *Pezzana ad Verellas*. — V. Hertel, *Mendhusio*. — Valentinus ab Aletrio, *Tusculo*. — Th. Vignas Sch. Piar., *Roma*. — Alb. Sesia, *Verellis*. — Fr. Altobelli S. L.; Vine. Starace, *Neapoli*. — Herm. Gini, *Taurinis aquis*. — Alois. Cappelli, *Senis*.

Sortitus est praemium

VALENTINUS AB ALETRIO,

ad quem missum est carmen, cui titulus:

XV. KAL. SEPT. MCCCCI
DIE SACRO
OB MEMORIAM IOACHIMI PATRIS
LEONI XIII P. M.
SODALES ALFONSIANI.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Paeis* Phil. Cuggiani.

PER ORBEM

NOTA satis atque evulgata sententia est, malorum omnium ea esse tamquam pessima pertimescenda, non quae naturae vires, sed quae hominum ingenium comparaverit. Ut enim mens hominis valet quaecumque ex re, sive virtute uti ad optimum communis vitae profectum, ita potens est iisdem abuti praevalide, ad immanem usque terrarum orbis ruinam. Haec, si probatione nova indigere possint, russica modo diaria praesertim confirmantur, quae parvo abhinc tempore, mirum quam crebra incendia nunciant, eaque nec exigui spatii, neque remisse agentia, sed horrendum in modum diffusa. Non aliter olim exardescentem flammis viderant maiores nostri Urbem, excitata dissitis ex locis ignis rabie nova, dum Caius Claudius Nero Caesar Troianum incendium recinit.

Et sane a kalendis usque ad idus octobris oppida decem et unum igni sunt absumpta, quorum alterum, nomine Verstolzy, septem incolarum millibus frequens fuerat: ad Byrs locum, ad Koshorna silvae flammis voratae sunt; igni combusta pariter opificia ad Riatan, atque Alaty, atque Scerkod constituta.

Rha ipsum per flumen transire natatu aut scapha discrimen maximum implicat, ob candidiorum ramorum multitudinem, qui flante vento abiguntur flammisque per undas, — novum hercule prodigium! — late pertrahunt. Varsavia in urbe vigillum novas cooptare cohortes oportuit; tam frequenter incendia exurgebant: novissime enim castra stativa equitum, linteorumque officina dolo adusta sunt. Tot autem eriminum auctores frustra ab inquirentibus magistratibus exspiciuntur; tantummodo nunciatum est Petropoli mulierem quamdam captam esse quum petroleum ignitum liquidum in officina lignaria Slarsti cuiusdam ex abdita sub peplo phiala in ligna diffunderet. Mulieris huius immo noscebatur iam domus, permagna ubi lusoria quotidie habebantur virorum feminarumque colloquia, quorum tamen sub specie pessima, *nikitistarum* factionis consilia agitari confitebantur. Mulier autem negavit sese liquidum data opera effudisse, sed casu id factum obtestata est, liquidumque ipsum eius esse generis asseruit quo utuntur hodie tonsores ad lavandam cutem capitis.

Quoniam vero de impiis huiusmodi «sectariis» sermo fuit, memoria dignum est novum simile causa nexum sodalicium Iberica regna novissima minitari. *Iustitia et mors* sodalibus titulus, quorum ex agminibus multi iam in vincula detrusi, ipsorumque scripta magna copia sublata. Quin etiam aiunt virum, cuius haec gesta millesiae potius fabulae simillima dixeris, ea perpetrasse. Emanuel Verlajo ei nomen, fabri filio, qui primum patrem metu coegit ut exiguum familiarem pecuniam sibi integram traderet. Ea instructus migravit in Philippinas insulas atque cum Aginaldo pugnavit; ipse autem a perduellium duce brevi ob crudelitatem atque inhumanitatem morum pulsus ab exercitu de patria revisenda cogitavit. Nummis vacuus monasticas vestes mentitus est, ac tamquam sacerdos mercatoria in navi acceptus rediit. Malacitanum in portum appulsus fit coquus, et vespere quotidie perquam nefarios adiungere sibi viros non dubitavit, quos nova verba docuit, abradendas divitum domus, magistratus morte tollendos. Ortuae inde Malacitanas seditiones; quibus tamen militari manu sedatis, Barcinoniam ille transfuga migrat paternaque arti iterum sese tradit; at nova scariorum agmina brevi colligit, quorum suffragiis omnium facinorum princeps factus est. His positus furiosa mente

Emanuel rursus aufugit, atque asseclae eius ipsi quo se contulerit ignorarunt. Abditus impiam tamen sodalitatem moderatur verbisque suis imperat. Leges sodalicium haec: neces, incendia, rapinae, stupra licita omnia, atque, dum res postulet, sancta; aequata omnium dominia; si quis abdita sodalicium consilia vel sodalis nomen revelaverit, morte puniendus.



Rem sane fastidiosam non persequar longius, neque sinam hodiernae viae facere finem. Memorem potius felicem prope ausum aerei itineris, quod La Vaulx, Gallus comes, aggressus est. Qui super Mediterraneum mare ex Gallia in Africam transire per aërem constituit; sed, ne mortale foret volitantibus nautis discrimen, comitante *Duchayla* loricate navi; rei enim experimenta modo pertentabat. Itaque per quadraginta horas et amplius deducta feliciter via super undas, cumque Perpignan supra locum globus pervenisset, nautae, rati se pro prima vice satis sua experientia edoctos, dederunt navi signum. Ea autem appropinquante reclusa est ex globo aëris via, qui paulatim extenuatus cecidit atque *Duchayla* navis in ponte requievit. Aeronautae optime valentes Tolonam marino itinere redierunt, mox, si faveant dii, ausum iteraturi.

VIATOR.



VARIA

Annulorum usus penes antiquos et... aequales.

Etrusca sepulera vetustissima annulos habent, sacrae litterae perhibent testimonium de iis a temporibus ultimis gentis humanae, eoque processum est ut, non aliter ac digiti manuum, brachia, lacerti, collum, aures, infimaeque ad pedes tibiae annulis aureis, argenteis, cupreis decorarentur. Quinimo ipsum diadema nihil nisi capitis annulus est; additi enim postea sunt radii taeniis. Haec de antiquitate usus.

Significatio annulorum multiplex. Apud reges quasi auctoritatis supremae indicium erat, illo signabantur decreta, et quasi in regis locum suffectus ille erat habendus, cui regius annulus crederetur. Itaque in *Genesi* legimus a Pharaone datum Iosepho annulum, uti primus post regem habitus cuncta quae vellet faciunda inberet, cunctique parerent. Apud Romanos equestris Ordinis signum annulus fuit; apud Graecos libertatis. Doctoribus ad dignitatem traditur quasi nuptias cum sapientia celebratis. Feminis nuptias ineuntibus sacro ritu decernitur daturque numquam exuendus. Haec solemniter. Sed nunc ambitione quadam inani omnes fere gestant, ostentantes gemmam et adamanta inclusum, vel uniones et saphyros et cetera, quae huiusmodi auro insestantur visenda. Ad medelam olim etiam ferebantur, quippe persuasio inerat plerisque medicis gemmas nonnullas oculis, nonnullas ventri, stomacho, pectori gestatas prodesse. Quid si et menti? Et menti quidem; nam plures gemmae fatuitatem, ebrietatem arcebant, animumque alacrem, acutumque parabant. Sed inania haec ad notitiam dicimus; cetera, prout illa de amuletis, de magicis artibus, de daemonibus in annulo conclusis, Minerva suadente sapientiori, praetereunda censemus.

Elementa humani corporis.

Meministis, lectores, in sacris paginis fuisse scriptum: — Quid est vita vestra? Vapor est ad modicum parens. — His fretus quidam Germanicus vir, physicarum rerum assiduus quaesitor, atque hisce motus, qua vaporum summa humanum corpus constaret in-

quirere statuit. Elementa, — pro nimis fluida et evanescentia! — quibus potitus est, reddam prout ipse comperuit. Sit ergo, inquit, humanum corpus par chilogrammatibus septuaginta; porro haec ita dividuntur ac distribuuntur: Habemus oxigenii chilogrammata quatuor et quadraginta; carbonii duodecim; hydrogenii septem; azoti unum. Sequuntur calcii gramm. 1750; clori gramm. 800; totidem phosphori; fluorii gramm. 100; octoginta potassii; magnesi quinquaginta; quinque super quadraginta grammata ferri. Habemus itaque in summa chilogrammata 67,625. Desunt integrando ponderi chilogramma. 2,375. Quid ergo de his, et quo abierunt? Sedulitatem incumbens fefellerunt devii, an pervicaces? Utrumque credo; quippe nemo sine aliqua mixtura dementiae vivit, ac dementia, quod sciam, imponderabilis est.

Subterraneae electricae.

Subterraneae electricae mercibus, libris, involucris certo volumine contentis constitutae sunt, aut, rectius, in eo sunt ut Neo-Eboraci constituantur, curante Societate, cui nomen *Consolidated Telpherage Co.* Qui frui voluerint hoc non mediocri commodo tum negotiosum homines, tum eruditi nil agent praeterquam telephono rogare eos, a quibus rem vendendam, vel commodandam, vel etiam mutuandam sibi postulant. Commodator, venditor, matuator, et quisquis alius sit fenestellam domi petet, et quod amicus poposcerit ipsi credet in parva capsula, non excedente octoginta circiter centimetra diametri. Ubi apte commiserit, vim electricam ciet, cuius flumine abrepta capsula incredibili velocitate ad expectantem subterraneos per tubos affertur, in quibus parvi sunt axes perpetui rotulas capsulae accipientes, et celeritate mirabili deferentes illuc ubi expectatur. Quo statim ac postulata perveniunt impingit capsulam in opportunam hastam, et huius contactu omnis electrica potentia resistit excita suaeque sarcinae copiam optanti facit. Quod de privatorum civium domibus dicimus ad publicas stationes facile deferretur, unde famuli, loco machinisque addicti, petentibus, si praesentes fuerint, tradent: si absentes domum portabunt.

Ioci.

Commendatio singularis.

Dionysius ab amico Menalca de quodam Iro quaerebat, quem alius commendaverat, ut in nummaria mensa operarium acciperet: — Optimus, — ait Menalca — o Dionysi, hic est; nam nondum trigesimum excessit annum, et scriptor, apud nummarios et publicanos, semper versatus, septies detrusus in carcerem est praesumptione furti; septies autem et innocens est a iudicibus dimissus. Vides ergo innocentissimum septies probatum... — Tum Dionysius: — Ego vero non de innocentia eius, sed de innocentia iudicium dubito.

P. d. V.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Dott. MARGHERITA ANCONA, *Claudio II e gli usurpatori.* — Messanae, ex off. D'Angelo, 1901.

P. RASI, *Postille Virgiliane.* — Florentiae edid. Bernardus Seeber, 1901.

G. B. LUGARI, *Il sacello "Domine, quo vadis?" sulla Via Appia.* — Romae, ex off. Pacis, Philippi Cuggiani, 1901.

Ad Leonem XIII P. O. M. IANUARIUS ASPRENAS Rocco cecinit. — Neapoli, ex Regii Typographii typis Francisci Iannini et Filiorum, MDCCCXI.

IOSEPHUS DE-GENNARO, *De recta iuvenum institutione oratio.* — Romae, typis Forzani et Sociorum, 1899.

* FIDES *

(Italice Violino)

quod musicum organum.

STRADIVARIUS

CREMONENSIVM ARTIFEX CELEBERRIMVS

CONFECIT

Romae veneunt.

Negotium agitur apud Commentarii VOX URBIS administratorem, ROMAE, via Alessandrina, 87.

LIBER (vulgo "ALBUM,")
 praecipua Urbis referens, pulchritudine insignis atque, commentarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse conflatus, apud eundem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87, ven. lib. 1.50.

Sociis qui in Nordica America versantur vehementer commendamus quod a Sodalibus Carmelitis novissime institutum est ac regitur

COLLEGIUM SANCTI CYRILLI

ad liberalem eandemque Christianam et nostrae aetati aptam institutionem iuvenibus comparandam.

Prospectus studiorum et regularum, quae collegium moderantur, petatur ab ipsius Collegii Praeside, 6413 Star Avenue (Woodlawn) — Chicago, Illinois.

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur, venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
 EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

Nuperrime prodiit

LOLLIUS, sive de provectora latinitate, PETRI ANGELINI liber, constans paginis CIX, excerptus e Commentario *Vox Urbis*. - Venit lib. 1.50, apud eiusdem Commentarii administratorem, *Romae, via Alessandrina, 87.*

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO — DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE — VIA SISTINA, 129 — ROMAE

LE LAUDI LATINE
 E
IL CANTICO DEL SOLE
 DI
 S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncola, 1897

Hoc libello praeter venustam praefationem a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latinae cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime alii subsequenter ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam, Tullius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.